

SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNETURA APOSTOLICA, Prot. n. 49980/15 CA, *Nominationis Consilii administrationis*, 6 novembre 2015 (decreto) e 17 giugno 2016 (decreto).*

Prot. n. 49980/15 CA

N-NN

Nominationis Consilii administrationis

(D.nus X – Congregatio pro Clericis)

DECRETUM

Die 29 aprilis 1983 Exc.mus Y, Episcopus N-NN, ubi fundatio v.d. Z sedem retinet, nova eius statuta, adhuc ad normam Codicis anno 1917 promulgati exarata, approbavit. Anno 2001 ei successit Exc.mus W. Electo anno 2009 novo membro Consilii administrationis, Exc.mus W de necessitate confirmationis electionum iuxta statuta foundationis certior factus est et a die 12 decembris 2011 colloquia cum membris Consilii administrationis frustra instauravit ad eorum condicionem acclarandam.

Cum nemo ex membris Consilii ratihibitionem nominationis ex parte Exc.mi Episcopi petiisset, Exc.mus W die 10 iulii 2013 declaravit ne unum quidem ex membris Consilii ad normam statutorum valide munus obtinuisse, Consilium administrationis ergo de facto cessavisse et administrationem iuxta art. 3.8 Statutorum foundationis ad se spectare. Rebus sic stantibus ipse novum Consilium praefatae foundationis nominavit.

Die 23 iulii 2013 quinque membra antiqui Consilii, ab Exc.mo Episcopo

* A seguito del testo e della relativa traduzione dei decreti, si può consultare il commento di GIOVANNI PARISE, *Necessità di conferma dei membri del Consiglio di Amministrazione di una fondazione e ruolo dell'Autorità Ecclesiastica*.

numquam confirmata, novum Consilium agnoscere nolentes, Cl.mo D.no V mandatum dederunt ad eos sive in foro canonico sive in foro civili defendendos. Petita autem revocatio vel emendatio decisionis diei 10 iulii 2013, ab Exc.mo Praesule die 23 augusti 2013 reiecta est.

Iudex civilis, nomine Exc.mi Episcopi interea aditus, die 28 augusti 2013 in processu brevior, naturam quidem ecclesiasticam publicam foundationis agnoscens, de facto statuit in re non esse interveniendum ob defectum urgentiae in processu brevior v.d. *Kort geding* requisitae.

Die 6 septembris 2013 praefatus Adv.tus V, nomine antiqui Consilii, recursum hierarchicum ad Congregationem pro Clericis proposuit. Decreto vero diei 9 octobris 2014 (prot. n. 20141953) Congregatio pro Clericis, legitimatione activa tantum Cl.mi X agnita, recursum hierarchicum reiecit et decretum Exc.mi Episcopi N-NN diei 10 iulii 2013, invocato can. 1739, expresse confirmavit.

Cl.mus dein Adv.tus Q, de mandato solummodo Cl.mi X, die 9 decembris 2014 recursum apud H.S.T. exhibuit. Tantum die 3 iulii 2015 Cl.mus Patronus mandatum etiam a ceteris membris antiqui Consilii subscriptum exhibuit.

Re tandem aliquando rite discussa inter Cl.mos partium Patronos et Rev.dum Promotorem Iustitiae Substitutum,

SUPREMUM SIGNATURAE
APOSTOLICAE TRIBUNAL

Relate ad legitimationem activam praemisso quod:

- ad normam art. 16, § 1 *Legis propriae* H.S.T. "partes stare in iudicio possunt solummodo per patronum", et quidem albo H.S.T. inscriptum vel saltem ad normam art. 17, § 3 eiusdem *Legis propriae* ab Em.mo Praefecto ad casum admissum;

- in recursu apud H.S.T. legitimatione activa tantum X gaudet, cuius nomine Cl.mus Q die 9 decembris 2014, scilicet intra terminum sexaginta dierum, de quo in art. 74, § 1 *Legis propriae* H.S.T., recursum interposuit;

- Mandatum die 23 iunii 2015 collatum utpote diu extra terminum, de quo supra, scilicet die 3 iulii 2015 exhibitum, considerari non potest;

Pro comperto habito quod fundatio regitur suis legitimis statutis, quae omnes partes in causa, Recurrens scilicet, Exc.mus Episcopus N-NN et Congregatio pro Clericis, immo et Iudex civilis de quo supra, plane et inconcusse agnoscunt;

Considerato quod:

- praescriptum articuli 3.4 statutorum explicite statuit : «Membra Consilii administrationis ab eodem Consilio nominantur. Quaelibet nominatio confirmationi (*Bekrachtiging*) ab Episcopo dandae eidem proponitur»;

- Nec Recurrens nec ulla membra antiqui consilii administrationis umquam statutis praescriptam nominationis confirmationem petierunt nec utcumque de quodam eorum impedimento constat ad praefatam confirmationem petendam;

Perspecto quod ad praefatum praescriptum art. 3.4 statutorum ad normam iuris adimplendum impar est nuda nominum

communicatio Exc.mo Episcopo facta seu eorum scientia per suetas informationes data occasione oblatas in Exc.mum Episcopum inducta; nam praefatum praescriptum de nominatione Exc.mo Episcopo *proponenda* cavet ad *actum* proprium Exc.mi Episcopi suscitandum, scilicet ad confirmationem obtinendam;

Attento insuper quod:

- confirmatio vim habet ratam habendi nominationem, confirmanti ad hoc submissam;

- omnia proinde petitione confirmationis, confirmandus omni iure privatur ad officium de quo (cf. can. 179, § 1 CIC);

- nec ceterum sermo fieri potest de officio in casu ope praescriptionis acquisito, quia praescriptum de quo numquam membris nominatis ignotum fuerat, ac proinde ab iisdem haud insciis inobservatum mansit;

Deficiente, proinde, ullo membro ad normam statutorum confirmato, nominatio Consilii iuxta art. 3.8 eorundem statutorum ad ipsum Exc.mum Episcopum spectat, utpote si ne unum quidem membrum Consilii ob quodlibet motivum exstet;

Subordinate quidem animadverso saltem quod frustra ac incongrue iterum iterumque Recurrens remittit:

- ad legem civilem, nam fundatio quaelibet primo et principaliter suis propriis statutis regitur;

- ad praescriptum art. 3.6 statutorum, quippe quod praefatum praescriptum tantum caveat de membro Consilii dimittendo ac de competentia in causa exinde forte mota, quod toto coelo differt a quaestione hic agitata, quae, uti

apprime apparet, suum locum materiae habet in art. 3.4 statutorum;

- ad prooemium statutorum, ad vim art. 3.6 eorundem statutorum circumscribendam; nam, uti omnes probe norum, plures regulae iuris universales seu communes exstant ad relationem inter prooemia seu rubrum, et singulas dispositiones seu nigrum, regendam, uti *generi per speciem derogatur, per nigrum restringitur seu corrigitur rubrum*;

Pro explorato ergo habito quod Congregatio pro Clericis nullam legem violavit recursum reiciendo;

Viso art. 83, § 1 H.S.T. *Legis propriae*;

Re sedulo examini subiecta in Congressu, die 6 novembris 2015 coram infra-scripto Praefecto habito,

decrevit:

Recursum contra decretum a Congregatione pro Clericis die 9 octobris 2014 latum non esse admittendum et facto non admitti ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis H.S.T. Iudicibus, quippe qui manifeste quovis caret fundamento.

Cautio pro expensis in arca huius Supremi Tribunalis deposita retineatur. Partes suo quaeque Patrono congruum solvant honorarium.

Adversus hoc decretum datur recursus ad Collegium Em.morum et Exc.morum Iudicum ad normam art. 84 *Legis propriae*, qua haec Signatura Apostolica regitur.

Et notificetur omnibus quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 6 novembris 2015.

✠ Dominicus Card. MAMBERTI,
Praefectus

✠ Frans Daneels, o.praem.,
Archiepiscopus tit. Bitensis,
Secretarius cus Card.